14

THESES PHILOSOPHICAE,

Quas propitio numine

Adolescentes PHILOSOPHIÆ *alumni*,

EX ACADEMIA IACOBI REGIS:

Hac vice cum laurea emittendi, pro virili propugnabunt,

EDINBVRGI, Ad vii. Kal. August.

In Æde Sacra Regii Collegii.

PRAESIDE IACOBO FAIRLÆO.

EDINBURGI,
EXCVDEBAT ANDREAS HART
Anno 1619.

Ornatissimo Viro

D. Gvlielmo Nisbeto, Equiti Au-
rato, Vrbis Edinb. præfecto dig-
nissimo, D. Ballivis, cæterisque
Vrbis Edinb. Senatoribus amplis. & pru-
dentiss. ACAD. IACOBI REGIS patronis
& EVERGETAIS benignissimis Adole-
scentes Magisterii candidati S.

2 pages

Copy in Collage Lib

ADOLESCENTES MAGISTERII CANDIDATI

Alexander Johnstonus
Alexander Lintonus
Alexander Setonius.
Andreas Hammiltonus.
Arthurus Kayus.
David Willæus.
Gaspar Humius.
Georgius Duglassius.
Georgius Nicolaus.
Gilbertus Eliotus.
Gulielmus Campbellus.
Gulielmus Duglassius.
Gulielmus Lochartus.
Gulielmus Maghæus.
Iacobus Brussius.
Iacobus Huntarus.

Iacobus Muirheidius.
Iacobus Portæus.
Ioannes Bogæus.
Ioannes Hammiltonus
Ioannes Mackmathius
Ioannes Rossius.
Ioannes Scotus
Joannes Sommervallus
Iosephus Millarus
Michael Scotus
Patricius Humius
Robertus Arnotus
Robertus Eliotus
Robertus Virgilius
Samuel Anglus
Samuel Grayus.

THESES LOGICÆ.

I

VT assensus veritatis apellatur scientia tribus inprimis opus est. 1. Vt ex alio evidenti assensu per evidentem consequentiam deducatur. 2. Vt uterque hic assensus assentienti notus sit & non solâ aliorum authoritate aut probabilitate acceptus. 3. Vt habenti evidenter notum sit assensum quem habet, esse principio ex terminis noto coniunctum uno vel pluribus mediis quæ ipsi sint cognita.

1 *Qui scientiam aliquam integram consecuturus est, debet comprehensionem unius conclusionis in aliâ & omnium in principiis tenere & universas disserendi formulas, ut par est ad scientiam comparandam, cognoscere.*

2 *Solo naturali lumine intellectus Logicæ arte non fulcito scientia integra comparari non potest.*

3 *Notitia circa materiam alicujus scientiæ lumine naturali acquisita (quam quosdam sine Logica habuisse & habere constat) est tantùm opinio aut fides humana.*

4 *Ad integram quamcunque scientiam comparandam etiam imperfectè, aut saltem eam à quâ sciens quis simpliciter appelletur, simpliciter necessaria est Logica.*

5 *Ergo ante omnes scientias addiscenda.*

II Καθολου ἐστιν ὁ πλείοσι πίπτειν ὑπάρχειν. Lib. Metaph. cap. 13.

Ad universale actu duo requiruntur, unitas & communicabilitas seu aptitudo essendi in pluribus per modum Identitatis.

III Vnitas formalis est unitas essentiæ & contrà.

1 *Quod habet unitatem essentiæ habet unitatem formalem.*

2 *Cum quodlibet individuum non solùm sit unum numero, sed etiam essentiâ; utramque unitatem numeralem & formalem habet ex reipsâ ante mentis operationem, non tamen ex naturâ rei distinctas, sed ratione tantùm.*

3 *Ipsa unitas formalis in unoquoque individuo est singularis & individua.*

4 *Multiplicatis individuis & eorum differentiis individualibus multiplicantur unitates formales.*

5 *Individua etiam ejusdem speciei habent distinctas unitates formales, non tamen differunt formaliter.*

6 *Ad universale actu, utut requiratur unitas formalis, non tamen sufficit.*

IV Τῇ τῶ εἴδους μετουσίᾳ οἱ πολλοὶ ἄνθρωποι εἷς, Porphyr. Cap. de Specie.

1 *Vnitas constituens naturam universalem est ejusmodi in quâ uniuntur omnia singularia talis naturæ, unumque esse dicuntur.*

2 *Vnitas universalis ejusque ratio consistit in actuali indivisione alicujus naturæ in plures naturas similes sub eodem nomine & ratione.*

3 *Quum ante operationem intellectus natura in singularibus sit divisa non erit una unitate universali (quam aliis appellare placuit unitatem præcisionis) nisi virtute mentis sub indivisione numerali eam concipientis, dum eam concipit non conceptis individualibus conditionibus per quas dividitur divisione numerali.*

4 *In singularibus non est aliquid unum realiter in iis existens.*

5 *Etsi primâ fronte verum videatur, falsum tamẽ est, quod ante operationem intellectus Petrus sit homo, aut Ioannes sit homo.*

6 *Homo non est prior singularibus hominibus prioritate naturæ reali, sed rationis,* τὸ γὰρ καθόλου ἤτοι οὐδέν ἐστι, ἢ ὕστερον, *Lib. 1. de Anima, Cap. 1.*

V Species humana in ratione speciei ita est una, ut cum aliis constituat numerum ternarium vel quaternarium specierum

cierum ſub animali contentarum.

1 *Homo & Leo in ratione ſpecierum ſeu univerſalium differunt numero, etſi abſolutè differant eſſentialiter & ſpecie.*

2 *Unitas præciſionis, quæ eſt propria univerſalium, vocari poteſt unitas numeralis, non tamen ſimpliciter, ſed rationis, ſeu objectiva.*

VI Fieri non poteſt ut natura exiſtens in Socrate eadem ſecundum rem amittat individuationem quam habet in eo, & acquirat aliam.

1 *Natura communis, ut in re exiſtit in unoquoque individuo, ita eſt determinata ad illud, ut non poſſet eadem ſecundum rem ad aliud determinari.*

2 *In nullo individuo natura eſt indeterminata ad plura individua.*

3 *Ergo in nullo habet realem aptitudinem ad eſſendum in multis, quæ non poteſt eſſe abſque indifferentiâ.*

4 *Aptitudo ad exiſtendum in multis non eſt aliqua proprietas realis conveniens naturæ ſecundum ſe ante operationem intellectus.*

5 *Erit igitur indifferentia ſeu non repugnantia quæ fundatur in ipſâ unitate formali, quæ licet in individuo ſit incommunicabilis, non tamen ex vi unitatis formalis, ſed numeralis ſeu individualis: actu verò non convenit naturæ niſi ut ſubeſt abſtractioni intellectus.*

VII Ante omnem exiſtentiam veræ ſunt hæ enunciationes, Petrus eſt homo, homo eſt animal, &c.

1 *Ergo ante omnem exiſtentiam univerſalia hæc de inferioribus affirmari poſſunt.*

2 GERMANVS & *proprius actus potentiæ univerſalis non eſt actualis exiſtentia ſuperioris in inferioribus, ſed Identitas quâ poſſumus aſſerere,* hoc *eſt* hoc.

3 *Omne univerſale, etſi non formaliter totam naturam inferiorem vel nec ejus partem, tamen concernendo ſaltem & connotando totam importat.*

4 *In hâc prædicatione (Socrates eſt albus) album, dum ſumitur ut prædicatum & univerſale, involvit totum ſubjectum.*

5 *In hujuſmodi prædicationibus, aliud eſt id ratione cujus prædicatum affirmatur, aliud id ratione cuius verificatur: illud enim fit ratione connotati, hoc propter formale ſignificatum.*

6 *Hæc identitas non eodem modo se habet in omnibus universalibus, sed in quinto identitas præsupponit inexistentiam, in quatuor prioribus identitas est causa, ut cum universalia existunt, sint in suis singularibus.*

VIII In omnibus generib⁹ communis ratio à particularibus differentiis abstrahens cunctis speciebus est univoca, quantumcunque propriis differentiis plùs vel minùs perfectis contracta.

1 *Etiamsi prædicabilia propriis differentiis sint valdè diversa, atq; aliis alia longè perfectiora, tamen definitio universalis omnibus erit univoca.*

IX Vniversalitas & prædicabilitas sunt respectus naturæ ad inferiora: at subiicibilitas est respectus ad superius.

1 *Ergo sunt relationes quasi oppositæ.*

2 *Vniversalitas non est passio subiicibilitatis, aut contrà.*

3 *Sicut pater ut pater non est filius, ita species ut subiicibilis non est universalis.*

X Quodlibet individuum substantiæ significat naturam specificam particulari modo subsistendi determinatam.

1 *Sicut ab hac naturâ substantiæ abstrahibilis est communis conceptus naturæ substantialis, ita à tali modo subsistendi particulari huius & illius individui abstrahi potest communis conceptus singularis modi subsistendi, qui omnibus individuis erit communis.*

2 *Individua substantiæ non conveniunt solo nomine individui, sed in conceptu reali, non quidem naturæ, sed modi particulariter existendi omnibus communi & univoco.*

3 *Formale definitum in secundâ definitione individui à Porphyrio assignata erit aliquid reale & univocum respectu individuorum substantiæ, quæ sola, nemine dissentiente, ibi definiuntur.*

4 *Hæc ratio communis particulariter existendi omnibus substantiæ individuis, cùm sit modalis tantùm, non prædicatur tanquam genus, species, &c.*

5 *Neque tamen opus est ut cum Cajetano statuamus sextum prædica-*

dicabile pro his ac similibus prædicationibus, Ioannes est individuum, quum satis commodè ad prædicabile speciei aut differentiæ referri possint ob maximam cum iis similitudinem.

XI Sensitivum quum sit essentiale animali, actu in eo includitur.

1 *Ergo non includitur in rationali, nisi quis velit* ταυτολογεῖν *in definitione hominis.*

2 *Ergo sensitivum non est genus, aut species, ad rationale & irrationale.*

3 *Et quum non sit differentia, proprium, aut accidens, ad illa omninò non erit universale respectu illorum.*

4 *Differentiæ latiùs patentes non sunt genera minùs latè patentium.*

5 *Differentiæ latiùs patentes non prædicantur* καθ' αὑτο *de minùs latè patentibus.*

XII Ποσὸν λέγεται τὸ διαιρετὸν εἰς ἐνυπαρχοντα, ὧν ἑκάτερον ἢ ἕκαστον ἓν τι, καὶ τοδὶ τι σημαίνειν εἶναι, Lib. 5. Metaph. Cap. 13.

1 *Quum quantum sit divisibile in partes, ei inerunt partes.*

2 *Quia ea quæ solùm sunt in potentiâ alicujus non dicuntur, ei inesse, partes actu erunt in continuo.*

3 *Quodlibet continuum existens in rerum naturâ habet partes actuales integrantes ex quibus componitur.*

4 *Ergo, quum in infinitum sit divisibile, habebit partes actu infinitas.*

5 *In continuo non tantùm actu sunt indivisibilia terminantia, sed etiam continuantia, eaque actu infinita.*

6 *Non tamen ita sunt actu in continuo vt sint realiter separata inter sese & à partibus, sed actu iis conjuncta cum quibus unum continuum componunt, licet sint realiter inter sese & à partibus distincta.*

XIII Numerus est καθ' αὑτο ἀσυνεχὲς, Lib. 2. de Anima, Cap. 6.

1 *Numerus rerum spiritualium non est prædicamentalis.*

2 *Residuum est ut sit transcendentalis.*

3 *Integra ratio numeri non est constare ex multis unitatibus, sed etiam quantitativis.*

4 *Sicut duplex est unitas, transcendentalis quæ cum Ente convertitur, & prædicamentalis: ita & duplex est numerus, transcendentalis & prædicamentalis.*

5 *Omnis numerus est unus unitate transcendentali, sed nullus prædicamentali.*

6 *Unitas, quâ binarius est unus, non est res addita binario, sed ipsemet binarius indivisus in plures binarios.*

7 *Ergo dualitas duorum binariorum non est eiusdem rationis cum dualitate duorum lignorum.*

XIV Additâ binario unitate binarius præexistens dissolvitur & consurgit ternarius essentialiter perfectior in ratione discreti: at si lineæ rectæ addatur recta, manet eadem linea secundum speciem.

1 *Additis unitatibus in infinitum essentialis numeri perfectio in infinitum cresceret: at si continuum in infinitum augeatur, non essentialem, sed accidentalem duntaxat perfectionem consequitur.*

2 *Numerus actu infinitus, si detur, non erit in prædicamento: at magnitudo actu infinita erit.*

XV Æqualitas perfectionis essentialis duorum individuorum eiusdem speciei non minùs est realis, quàm quantitativa æqualitas duorum corporum.

1 *Sicut hæc, ita & illa, potest esse fundamentum relationis realis & prædicamentalis.*

2 *Duo individua eiusdem speciei aut duæ species eiusdem generis cuiuscunque sint prædicamenti ratione unitatis specificæ quam habent, sunt fundamenta relationis, quæ propter similitudinem vocatur æqualitas, propriè verò generica aut specifica identitas.*

3 *Unde 1. datur relatio realis immediatè fundata in substantiâ.*

4 *2. Una relatio, materialiter scilicet considerata, potest esse fundamentum alterius relationis, ut una paternitas fundamentum est identitatis specificæ cum aliâ paternitate.*

5 *Nullum tamen hic periculum est processus in infinitum, cùm hæc*

relatio

relatio identitatis non fundet aliam identitatem, sed per se referatur ad quamlibet aliam relationem identitatis specificæ in quâlibet paternitate fundatam.

XVI Relatio ut relatio est forma accidentalis.

1 *Ergo nullum potest subiectum denominare nisi formaliter ei tribuat effectum formalem sibi proprium.*

2 *Fieri non potest ut relatio denominet extremum aliquod relativum nisi ei insit.*

3 *In relationibus non mutuis, qualis est inter Creaturam & Creatorem, illud extremum non mutuæ relationis, in quo non est relatio realis, non accipit esse relativum aut relativi denominationem ante operationem intellectus.*

4 *Non omnis relationis terminus est formaliter relativus, sed alicuius absolutus.*

XVII Περιαιρουμένων τῶν ἄλλων ἁπάντων ὅσα συμβεβηκότα ἐστι τῷ δεσπότῃ, καταλειπομένου δὲ μόνου τοῦ δεσπότην εἶναι, αἰεὶ ᾖ δοῦλος πρὸς αὐτὸν ῥηθήσεται. Cap. de Relat.

1 *Ex mente Philosophi in relationibus mutuis, qualis inter Dominum & Servum, terminus non est formaliter absolutus, sed relativus.*

2 *Relatio in genere non postulat per se terminum relativum neque absolutum; sed abstrahentem ab absoluto & relativo.*

3 *Non tamen inde sequitur, quod per accidens conveniat relationi respicere terminum relativum, nisi fortè eo modo quo dici solet differentias divisivas per accidens de genere enunciari, cùm tamen per se enuncientur de speciebus.*

XVIII Actus & potentia eiusdem sunt ordinis.

1 *Sicut denominatio prædicabilis est Ens rationis, ita & denominatio prædicati actualis.*

2 *Esse igitur prædicata, & ex consequenti subiecta, ac componere propositionem mentalem non a naturâ conveniunt conceptibus licet naturaliter significantibus, sed accidunt iis ex ordinatione intellectus.*

3 *Enunciatio mentalis, sicut vocalis & scripta, est Ens rationis.*

XIX Tempus præteritum & futurum regulantur per tempus præsens, ita ut præteritum tale sit quod aliquando fuit præsens, & futurum quod aliquando erit præsens.

1 *Ergo & enunciationes de præterito & futuro regulantur per enunciationes de præsenti quantum ad veritatem & falsitatem.*

2 *Sicut enunciatio de præterito, ut Petrus disputavit, est determinatè vera, quia verum fuit aliquando in præsenti dicere, Petrus disputat: ita enunciatio de futuro censebitur habere determinatam veritatem, qua aliquando erit determinatè vera de præsenti.* ἐι ἔστι λευκὸν τῦν, ἀληθὲς ἦν εἰπεῖν πρότερον, ὅτι ἔσαι λευκὸν. *Lib. de Interp. Cap. 9.*

3 *Contradicentium singularium de futuro contingenti una est determinatè vera, altera determinatè falsa.*

XX Συλλογισμὸς ἔστι λόγ@ ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει, τῷ ταῦτα εἶναι. *Lib. 1. Prior. Cap. 1.*

1 *Ergo syllogismus non est discursus tantùm secundum successionem, qui est series cognitionum sibi succedentium absque dependentiâ unius ab aliâ, sed progressio a cognitione unius rei ad cognitionem alterius cum dependentiâ unius ab aliâ, unde dicitur discursus secũdum causalitatem.*

2 *Discursus syllogisticus non potest fieri nisi ex notitiis judicativis.*

3 *Unde præmissæ in demonstratione ut judicatæ sunt efficiens per se & proxima causa scientiæ.*

4 *Apprehensiones præmissarum sine iudiciis non possunt esse causa proxima conclusionis, quæ sit verus actus scientificus & discursivus.*

5 *Demonstratio apprehensiva quoad præmissas est causa effectiva remota assensus conclusionis, quoad conclusionem est effectiva proxima, sed minùs principalis.*

XXI In Geometria multæ sunt concluſiones ordinatæ, quarum una infertur ex aliâ.

1 *Quum ultima demonstratur ex conclusione proximè præcedente necesse est in mente existere illius præcedentis actum scientificum, seu actualem scientiam.*

2 *Ergo vel illius præmissæ prædemonstratæ actus scientificus erit in mente absque actuali demonstratione, vel necesse est mente tenere omnes demonstrationes usque ad primam dum ultima fabricatur.*

3 *Quum hoc posterius sit impossibile, statuimus actum scientiæ posse esse in mente absque actuali demonstratione.*

Philo-

4 *Philosophi dictum (cap. 2. Lib. 1. Poster.* (Ἐπιστημονικὸν δὲ λέγω, καθ' ὃν τῷ ἔχειν αὐτὸν ἐπιστάμεθα) *de primâ actus scientifici productione, non de ejus reproductione intelligi volumus.*

XXII Habitus principiorum, qui à Philosopho Lib. 6. Ethic. Cap. 6. vocatur νοῦς, ibidem ab habitu conclusionis demonstratæ distinguitur, qui dicitur ἐπιστήμη, tanquam una species virtutis intellectualis ab aliâ.

1 *In câdem scientiâ totali habitus principiorum specie differunt ab habitibus conclusionum, quæ ex illis demonstrantur.*

2 *Ergo etiam habitus conclusionum diversarum, quarum aliæ ex aliis pendent, differunt specie inter se.*

3 *Ergo & habitus conclusionum diversarum, quarum aliæ ex aliis non dependent.*

4 *Scientia totalis, ut Metaphysica, aut Geometria, non est simplex qualitas, nec ratione sui in prædicamento qualitatis, sed ratione habituum partialium quos continet.*

5 *Sola igitur ordinata multorum distinctorum specie habituum collectio totalem scientiam propriè constituit.*

6 *Non tamen quilibet ordo & connexio multarum partialium scientiarum seu simplicium habituum inter se potest scientiam totalem constituere, sed ordinata connexio habituum seu scientiarum partialium unam & eandem considerandi rationem scibilem habentium.*

7 *In illo habitu, qui solùm habet unitatem ex coordinatione plurium qualitatum simplicium, datur augmentum extensivum per additionem novæ qualitatis, quæ licet respectu totius sit partialis, tamen ex se absolutè considerata est integra quædam qualitas.*

XXIII Demonstratio est, quæ constat ex principiis veris & primis, aut ex talibus quæ per prima & vera principium cognitionis habent. Lib. 1. Top. Cap. 1.

1 *Syllogismus constans ex alterâ propositione mediatâ & non prædemonstratâ non est demonstratio* διότι.

2 *Ergo ut aliquis dicatur scire conclusionem per demonstrationem* διότι, *necesse est eam demonstret non solùm ex principiis proximis, sed etiam ut sciat principia proxima ad prima & indemonstrabilia reducere.*

3 *Quùm scientia subalternata ex omnium consensu non possit reducere propria principia per quæ demonstrat proprias conclusiones usque ad principia simpliciter indemonstrabilia, intra proprium ambitum considerata, non potest reddere διοτι suarum conclusionum, aut verè demonstrare διοτι.*

4 *Ergo non demonstrat propter quid nisi ope & virtute subalternantis, à quâ ejus principia usque ad indemonstrabilia reducuntur.*

5 *Ergo scientia subalternans & subalternata non sunt duæ scientiæ totales distinctæ, sed quasi habitus principiorum & scientia intra eandem materiam.*

6 *Scientia subalternata à subalternante præscissa non est strictè sumpta scientia.*

THESES PHYSICÆ.

I

POTENTIAM materiæ sequitur inclinatio, quæ est appetitus. Τ'λη γὰρ τέφυκεν ἐφίεσθαι καὶ ὀρέγεσθαι εἴδους ὥσπερ θῆλυ ἄρρενος, καὶ αἰσχρὸν καλοῦ. Lib. 1. Phys. Cap. ult.

1 *Materia prima, dum habet formam nobiliorem, appetit ignobiliorem.*

2 *Materia prima, dum habet unam formam, expetit contrariam.*

3 *Ac etiam expetit easdem numero formas, quas deposuit.*

II Quod formæ sint in potentiâ activâ agentis superioris, ac fiant ab eo in materiâ jam dispositâ per actionem agentis proximi, non tollit earum creationem, cùm utrumq; contingat in animâ rationali, quæ tamen verè creatur.

Si

1 *Si formæ materiales nullo modo præcederent in materiâ, ſed tantùm in potentiâ activâ agentis, crearentur.*

2 *Hinc* 1. *formæ materiales præcedunt in potentiâ materiæ.*

3 2. *Eſſe in potentiâ materiæ eſt præcedere potentiam materiæ à quâ forma nata eſt dependere in Fieri & Eſſe.*

4 *Ergo & formam educi è potentiâ materiæ duo poſtulat:* 1. *Ut forma fiat in actu, cùm priùs ſolùm eſſet in potentiâ:* 2. *Ut ſine materiæ adminiculo nec effici nec permanere poſſit.*

5 *Non modò in continuis rerum naturalium generationibus, ſed etiam in primâ Mundi creatione probabile eſt formas Cœlorum & Elementorum eductas fuiſſe è potentiâ materiæ.*

III Etſi ars non vi ſuâ, tamen quod vi alienâ, hoc eſt, applicando naturalia activa paſsivis, multa naturæ opera efficiat, dubium non eſt. Pulli enim apud Ægyptios calore igneo excluduntur. Scalig. exerc. 23. Experientiâ etiam conſtat ex iuvenculo ſtrangulato apes, ex Baſiliſco Scorpiones generari, &c.

1 *Si conſtet quam materiam, quam qualitatum temperiem rei generatio requirat, & omnia invicem ritè componantur & tempeſtivè applicentur (Obſervato etiam ad id, ſi opus, ſyderum influxu) quidni hominum induſtriâ poſſit res illa produci.*

2 *Chymicæ artis beneficio verum aurum produci non videri debet omninò impoſſibile.*

3 *Alchymiſtas tamen monendos cenſuimus, dum certioribus veri auri ab ipſis confecti experimentis artificium non probant, ſibi caveant nè nimis verè dictum ſit, Chymicos non efficere aurum, ſed abſumere; non crumenas implere, ſed exhaurire.*

IV Vt ſe res habet in eſſendo, ita in agendo, iuxta commune Philoſophorum proloquium.

1 *Ergo à quo aliquid habet Eſſe, ab eôdem habet virtutem operandi.*

2 *Sicut accidens habet eſſe à ſubſtantiâ à quâ emanat, ita ab eâ habet virtutem operandi.*

3 *Accidens nunquam eſt principale productivum cujuſquam rei, ſive ſubſtantiæ, ſive accidentis, ſed ſemper inſtrumentale.*

V Generatio sic actuat materiam ut non solùm relinquat eam in potentiâ ad formâm, sed ut eam ordinet ad illam tanquam via ac tendentia ad eandem formam, & tanquam fieri eiusdem formæ.

1 *Ergo convenit materiæ inquantùm est in potentiâ ad formam.*

2 *Ergo generatio strictè sumpta est actus entis in potentiâ quatenus est in potentiâ ad ulteriorem actum, qui est forma.*

3 *Dum motus definitur* ἐντελεχείᾳ τοῦ δυνάμει ὄντος ἢ τοιοῦτον, *per postremam particulam non requirit Philosophus, ut statuat subjectum, partim in actu, partim in potentiâ secundum diversas partes vel gradus formæ, sed tantùm ut sit actus essentialiter imperfectus sic actuans subjectum ut illud relinquat in potentiâ ad ulteriorem actum, sive simul, sive per partes acquirendum.*

4 *Ad motum definitum libro tertio non est necessaria successio vel latitudo gradualis formæ per eum acquirendæ, ut mutatio dicatur convenire subjecto, quatenus est in potentiâ : sed satis est quod mutatio & forma sint duo actus, forma quidem perfectus, mutatio vero imperfectus & ad eam ordinatus, & eadem mutatio sit naturâ saltem prior forma.*

5 *Definitio motus convenit etiam mutationibus instantaneis.*

VI Circularis Cœli motus est continuus & successivus, cùm tamen fiat absque ullâ resistentiâ ex parte medii.

1 *Resistentia ex parte medii, quæ est extrinseca, non requiritur necessariò ad motum localem.*

2 *Alia igitur ratio est successionis in motu locali, eaque duplex, scilicet latitudo distantiæ in medio repertæ seu intercapedo & distantia extremorum, ac latitudo extensionis ipsorum corporum ob quam repugnat partes priores & posteriores simul præsentes esse eidem puncto aut parti spatii.*

3 *In vacuo, si daretur, non modò fieret motus localis, sed & in tempore.*

VII Totum est maius suâ parte.

1 *Ex infinito numero hominum, si daretur, auferantur decem erit numerus infinitus minor priori.*

Ergo

2 *Ergo unum infinitum potest esse majus altero.*

3 *Ergo datur æqualitas & inæqualitas inter infinita.*

VIII Mensura debet esse homogenea mensurato, hoc est, eiusdem generis ac rationis cum eo.

1 *Si res mensurata sit successiva, mensura debet esse successiva: si permanens, mensura permanens.*

2 *Tempus non est mensura per se accommodata ac proportionata iis quæ habent totum esse simul, & in indivisibili, successione carens.*

3 *Corpora etiam caduca, cùm eorum esse in indivisili consistat, & totum simul sit, secundum se non mensurantur tempore, Aristoteles Libro quarto, Capite duodecimo,* τὸ κινούμενον οὐχ ἁπλῶς ἔσται μετρητὸν ὑπὸ χρόνου ἢ τοσόν τι ἐστὶν, ἀλλ' ἢ ἡ κίνησις αὐτοῦ τοσή.

4 *Ergo alia iis concedenda mensura ipsis proportionata.*

5 *Duplex igitur duratio his corporibus tribuenda, una successiva quæ eorum mutationibus successivis, & iisdem ut iis subiiciuntur convenit, quæ est tempus: alia indivisibilis, tota simul, successione carens & ex propriâ ratione defectibilis, quæ iis convenit secundum esse nudè consideratum.*

IX [a] Ἕκαστον ἐστὶν, ὧν ἔργον ἐστὶν ἕνεκα τοῦ ἔργου. Lib. 2. de Cœlo, Cap. 3.

1 *Ex maximis identitatis specificæ indiciis in vitâ præditis (quod etiam vitæ expertibus est commune) hoc unum est, scilicet, propria ipsorum operatio.*

2 *Quæ easdem edunt operationes ejusdem speciei censenda sunt.*

3 *Non modò stirpes quædam, sed & quædam animalia, ut mures, ranæ, quæ tum ex semine, tum ex putri materia nasci constat, eadem sunt specie.*

X Ἡ τοῦ πυρὸς αὔξησις εἰς ἄπειρον ἴσως ἂν ᾖ τὸ καυσόν. Lib. 2. de Anima, Cap. 4.

1 *Augmentum inanimatorum nulla ex parte limitatur, sed in infinitum crescere possunt.*

2 *Ergo non habent intrinsecum terminum suæ magnitudinis (quem vocant* maximum quod sic) *sub quâ ita possunt generari vel esse, ut sub maiori non possunt generari vel esse.*

XI Omne agens naturale convenienter passo applicatum priùs & fortiùs agit in primam eius medietatem (quum sit divisibile) quàm in secundam, quia est proximior.

1 *Si ponatur minima quantitas ad generationem ignis requisita esse digitalis, & igni applicetur, ignis priùs imprimit parti priori dispositiones necessarias pro introductione formæ substantialis, quàm parti secundæ.*

2 *Ergo ignis priùs generabitur ex medietate proximiore, quàm ex totâ.*

3 *Quantitas illa, quæ posita est esse minima, non est necessariò requisita, sed in minori potest forma ignis introduci.*

4 *Ignis non habet intrinsecum terminum suæ parvitatis (quem vocant* minimum quod sic*) sub quâ potest esse & non sub minori: idem de omnibus aliis inanimis* judicium.

5 *Hinc concludimus inanimata & quoad generari, & quoad esse, habere tantùm extrinsecum terminum magnitudinis, quem vocant* minimum quod non, *& parvitatis, quem vocant* maximum quod non, *ac hunc esse punctum, illum quantitatem infinitam.*

XII Ἅπαντα πλείοσι τρέφεται. καὶ γὰρ ὅσαπερ ἂν δόξειε μάλιστα μόνῳ ἑνὶ τρέφεσθαι, οἷον τῷ ὕδατι τὰ φυτὰ, πλείοσι τρέφεται, μέμικται γὰρ τῷ ὕδατι γῆ. Lib. 2. de Ortu, Cap. 8.

1 *Ex Philosophi sententiâ nullum elementum per se & in suo naturali statu constitutum potest esse alicujus viventis alimentum, quod per os, vel id quod oris vice fungitur idoneam, ad corpus alendum præparationem subiturum hauriatur.*

2 *Nihil tamen impedit, quò minùs elementa extra naturalem conditionem posita & invicem confusa viventia quædam nutriant.*

3 *Animalia, quibus aërem pro alimento esse perhibent, non puro aut solo aëre, sed aliorum corporum permistione concreto, nutriri statuimus: præsertim quum observatum sit Chamæleontem, quem multi solo aëre vesci scripserunt, muscarum, erucarum, scarabæorum aucupio vivere. Scalig. exerc. 196.*

4 *Quare & odor sumptus sive pro qualitate quæ odoratu percipitur, sive pro exhalatione fumidâ, utut reficiendo spiritus cerebrum foveat & ad sanitatem ac vires conducat, non tamen nutrit.*

Μειζον

XIII Μειζον τοὶ τὸ ὅλον γέγονε, προσελθόν]Θ μὲν τίν]Θ ὃ καλεῖται τροφὴ καὶ ἐναντίον, μεταβάλλοντ]Θ δὲ εἰς τὸ αὐτό εἶδ]Θ. Lib. 1. de Ortu, Cap. 5.

1 *Ergo alimentum ante concoctionem est dissimile & contrarium, ejusmodi tamen quod alteratrice facultate vinci & ad conversionem accommodari possit per calorem cujusque, partim naturalem, partim proprium, qui sic uni inest ut non insit aliis, cùm propria ratio mistionis in singulis sit diversa.*

2 *Alimentum igitur quod uni viventium speciei accommodum est sæpe alteri est obnoxium ob temperamenti dissimilitudinem, & defectum proprietatis proprii temperamenti.*

3 *Quod Struthio-Camelus ferrum, Coturnix helleborum concoquat, non est omninò improbabile, non tamen vi solius caloris, sed ob occultam quandam virtutem ventriculo ingenitam, ejusque calori conjunctam.*

4 *An non tamen ex ferro supra modum ingesto Struthio languescere & in vitæ discrimen incurrere possit.* Πᾶν γὰρ τὸ πολύ τῇ φύσει πολέμιον.

XIV Elementa quæ suâ naturâ efficaciora sunt, possunt aliundè iam debilitata ad mistionem concurrere, vel cœlestium corporum influxibus in ipso concursu ita atteri ut alia licet minùs efficacia sibi non subiiciant, sicut accidit cum è duobus elementis tertium gignitur ubi neutrum vincit.

1 *Non igitur repugnat per naturam dari temperamentum omninò æquale in quo omnes quatuor primæ qualitates paribus intervallis coëunt, quod dicitur temperamentum ad pondus, sicut temperamentum inæqualibus qualitatum portionibus concretum temperamentum ad justitiam.*

2 *Ergo nec impossibile est dari corpus mixtum ad pondus temperatum secundum qualitates motrices.*

3 *Ergo & dari possit corpus mixtum, quod nullo modo ab intrinseco corrumpatur.*

XV Philosophus, lib. 2. de Anima, cap. 4. acturus de potentiis animæ vegetativæ asserit primò sibi agendum esse de earum actibus & obiectis, quia non possunt nisi per hæc extrinseca definiri.

1 *Ordo seu habitudo ad actus & objecta est essentialis potentiis animæ, & in propriis earum differentiis essentialibus importatus.*

2 *Unitas & distinctio specifica potentiarum, ut potentiæ sunt, sumitur ab objectis & actibus ad quos per se ordinantur.*

3 *Potentiæ vitales sunt quædam qualitates absolutæ in secundâ specie qualitatis, non tamen ita absolutæ quin includant respectum transcendentalem & secundum dici in suâ essentiâ ad actus & objecta.*

4 *Cùm constet eandem potentiam versari circa plura objecta materialia secundum proprias entitates non solùm specie, sed & genere diversa, à ratione formali obiectivâ, aut immutativâ potentiæ, & ab actu qui circa illam versatur, desumenda erit distinctio specifica potentiarum.*

5 *Potentia visiva in homine non differt specie à potentiâ visivâ in quocunq; bruto.*

5 *Omnia obiecta quæ habent eundem modum vel rationem immutandi, pertinebunt ad eandem potentiam.*

6 *Omnes qualitates tactiles, tum primæ, tum secundæ ad eandem potentiam pertinent, & ex consequenti unus est specie tactus in corpore.*

XVI Τὸ αἰσθητικὸν, δυνάμει ἐστὶν, οἷον τὸ αἰσθητὸν ἤδη ὡς ἐντελεχείᾳ. Lib. 2. de Anima, Cap. 5.

1 Πάσχει μὲν οὖν ἐχ ὁμοιον ὄν, πέπονθε δὲ, ὡμοίωται, καὶ ἔστιν οἷον ἐκεῖνο.

2 *Cognitio sensitiva consistit in actuali assimulatione facultatis cum obiecto.*

3 *Species impressa non est formalis similitudo ipsam repræsentans per modum imaginis.*

4 *Species igitur est quasi seminalis virtus obiecti impressa potentiæ ab eo, quâ mediâ idem obiectum elicit propriam ac formalem sui similitudinem, ad eum ferè modum, quo vivens medio semine à se deciso producit effectum sibi propriè ac formaliter similem.*

5 *Per hanc igitur virtutem impressam potentia fit obiecto similis virtuali quodam ac imperfecto modo, similis futura modo perfectiori per speciem expressam.*

XVII Obiectum à tergo positum videtur in speculo per reflexionem, non verò per speciem immediatè ab obiecto productam, cùm non sit in eo situ à quo possit eam in oculo producere.

Ergo

1 *Ergo videtur per speciem productam in oculo à specie in speculo reflexâ.*

2 *Non omnes species sensibiles in medio & in potentiâ multiplicatæ producuntur immediatè ab objecto, sed possunt species in medio productæ alias multiplicare, & cum objecto ad earum productionem activè concurrere.*

3 *Ergo non solùm ipsis qualitatibus naturalibus competit activitas intentionalis, sed & speciebus intentionalibus ab iis productis tanquam virtutibus earum, (cum dependentiâ tamen ab objecto) quarum activitate mediâ immutant potentias, & cum iis concurrunt ad sensationes.*

XVIII Idem numero accidens non potest inhærere duobus subiectis discontinuis, ex communi Scholæ sententiâ.

1 *Non est idem numero lumen quod informat, verbi gratia, aërem continguum parieti, & ipsum parietem, sed aliud distinctum.*

2 *Igitur ne detur accidens extensum secundum solam latitudinem sine profunditate, dicendum est lumen non recipi in solâ superficie parietis extremâ, sed etiam in partibus profunditatis illi proximioribus.*

3 *Corpus opacum etiam secundum profunditatem est subjectum receptivum luminis.*

XIX Certum est Cœlestia corpora esse colorata, lux enim ipsorum color est. Arist. Lib. de Sensu & Sensili, Cap. 3.

1 *Colores non proveniunt primò ex crasi & temperie quatuor primarum qualitatum, quæ in cœlesti mundo non reperiuntur.*

2 *Alia igitur ratio colorum assignanda, quæ eadem in cœlestibus & subcœlestibus locum habeat saltem secundum analogiam.*

3 *Cùm probabilior afferri nequeat, (ei enim & sensus & experientia suffragantur) statuimus colorem his omnibus inesse ratione perspicuitatis.*

4 *Omnis itaque color generabitur ex condensatione perspicui, quod cum propter partium tenuitatem transpareat, si incrassetur & condensetur amissâ perspicuitate ejus vice colorem assequitur.*

5 *Color igitur absolutè sumptus non minùs est in profundo, quam in superficie.*

6 *Cùm color sit adæquatum obiectum visus, color in profundo se-*

cundum propriam naturam erit visibilis.

XX Motus est sensile commune. Lib. 2. de Anima. Cap. 6. Sonus verò est sensile proprium, & patibilis qualitas.

1 *Ergo sonus non est formaliter motus aëris resilientis, sed qualitas realiter ab eo distincta, & per motum causata à corporibus sonantibus.*

2 *Neque tamen per se & quasi proprius terminus, sed ex consequenti & per accidens, eo ferè modo quo idem motus localis producit sæpè calorem.*

3 *Ergo sonus per se producitur per alterationem propriam quæ motum localem aëris resilientis consequitur, quæ, cùm proprio nomine careat, (si licet ὀνοματοποιεῖν) appelletur sonatio, id est, productio soni vt termini per se intenti.*

XXI Agens passo satis propinquum & non impeditum, naturaliter & necessariò producit effectum propriæ virtutis.

1 *Ergo sonus statim ac fit, producit species sui intentionales in aëre, & illæ alias.*

2 *Auditio directa fit sine multiplicatione soni realis usque ad auditum.*

3 *Ergo & Echo fit per reflexionem non soni realis, sed specierum intentionalium in corpore obsistente.*

4 *Dum fit Echo, idem numero sonus, eadem numero vox primò audita iterum auditur, sed per distinctas species repræsentata.*

5 *Cùm constet priùs audiri vocem directam, deinde reflexam, necesse est in tempore illo inter primam & secundam auditionem intercedente sonum realem in aëre permanere.*

6 *Quod igitur in illo medio tempore non audiatur, id accidit, quia dum est intra Sphæram auditus, auditur quidem auditione directâ, non aliâ atque aliâ, sed eâdem continuatâ; dum verò ab eâ recessit, & ad locum reflexionis appropinquavit, non auditur directè, quia non est intra Sphæram auditus; nec reflexe, quia species reflexæ nondum ad Sphæram auditus pervenerunt.*

XXII Τὰ ζῶα πάντα μίαν ἔχει τῶν αἰσθησεων τὴν ἁφήν, ὧ δὲ αἴσθησις ὑπάρχει τούτῳ ἡδονὴ τὲ καὶ λύπη, οἷς δὲ ταῦτα καὶ ἡ ἐπιθυμία. τοῦ γὰρ ἡδέος ὄρεξις ἔστιν αὕτη. Lib. 2. de Anima, Cap. 3.

1 *Appetitus sensitivus tendit in rem sensibilem sub ratione convenientis*

nientis naturæ sensitivæ, eamque sub ratione boni delectabilis appetit; & rem disconvenientem eidem naturæ sub ratione mali, aut nocivi fugit.

2 *Ergo necesse est objectum sensibile sub ratione formali convenientis aut boni, disconvenientis aut mali, proponi appetitui ab aliâ potentiâ sensitivâ eam cognoscente.*

3 *Cùm ratio formalis convenientis aut disconvenientis non cognoscatur à sensibus externis, nec à sensu communi, necesse est objectum sensibile sub hac ratione cognosci à potentiâ æstimativâ, à quâ appetitus aptus est proximè moveri, ut sic repræsentatum appetitui possit sub eâdem ratione illud prosequi vel fugere.*

4 *Ideoque objectum appetitus sub hâc ratione formali cognoscitur ab æstimativâ non per species sensatas, hoc est, ab externis aut inferioribus sensibus receptas, sed necessariò per novas alias, quas vocant insensatas, id est, non receptas ab alio sensu, nec repræsentantes objectum ut ab alio sensatum.*

5 *Producuntur tamen hæ species insensatæ mediis sensatis ab ipsâ æstimativâ, quæ informata specie impressâ sensatâ elicit ex eâ speciem insensatam alterius rationis, in eodem objecto sensato contentam, quam non formaliter repræsentabat sensata species, sed quasi ex consequenti & ratione virtuali.*

XXIII Τῇ διανοητικῇ ψυχῇ τὰ φαντάσματα, οἷον διαθήματα, ὑπάρχει. Lib. 3. de Anima, Cap. 7.

1 Διὸ οὐδέποτε νοεῖ ἄνευ φαντάσματος ἡ ψυχή. *Ibid.*

2 *Ergo intellectus agens nullam potest imprimere speciem, nisi determinetur per phantasma ut repræsentans objectum.*

3 *Ideoque nullius objecti speciem propriam, quæ ipsum proximè & adæquatè repræsentet, producere potest, nisi ejus quod repræsentatur per phantasma.*

4 *Sicut solùm dantur propria phantasmata accidentium per se sensilium, ita ab intellectu agente producuntur in intellectu possibili solùm propriæ species intelligibiles eorum.*

5 *Sola igitur accidentia per se sensilia sunt per se & primò cognita ab intellectu, substantia verò tum corporea, tum incorporea, & accidentia etiam corporea insensibilia, non per se, nec per speciem propriam, sed*

solùm posſi cognitionem & ex cognitione eorum.

6 *Objectum mentis per se adæquatum pro ſtatu corporis, id eſt, ſive per ſe motivum, ſive per ſe terminativum, eſt accidens aliquo modo per ſe ſenſibile, at objectum univerſaliſſimum comprehens quidquid aliquo modo perceptibile eſt ab intellectu ſive per ſe, ſive per accidens, ſive per ſpeciem propriam, ſive alienam, eſt ens univerſaliſſimum prout complectitur entitatem creatam & increatam, naturalem & ſupernaturalem, ſubſtantialem & accidentalem, realem & rationis.*

THESES ETHICÆ.

I

PRo virtute formandâ tria præſertim conſpirant, propenſio ad eam recipiendam quæ nobis ineſt à naturâ, Lib. 6. Ethic. Cap. ult. directio in iis quæ virtutem pariunt quæ remotè eſt à Philoſophia inſpectrice, proximè à morali, denique propria & proxima cauſa quâ virtutis habitus formatur, quæ eſt mos & aſſuetudo, Lib. 2. Ethic. Cap. 1.

1 *Philoſophia moralis non eſt methodus aſſequendi virtutes, ſed tantùm in attinentibus ad virtutem aſſequendam nos dirigit.*

2 *Ipſi virtutum habitus non inſunt nobis à naturâ.*

3 *Pudor ſeu verecundia non eſt virtus, ſed perturbationi quàm virtuti ſimilior, Lib. 4. Ethic. Cap. 9. Non enim virtus competit pueris quibus fre-*

3 *Ergo inſunt nobis tantùm diſpoſitiones per individuorum conditiones naturâ competentes ratione varietatis temperamenti, diſtinctaque conſtitutionis corporis, quibus ad virtutes*

frequenter competit verecundia.

4 *Quod igitur Philosophus Lib. 3. Ethic. Cap. 8. eam appellet virtutem, id fecit, quia est semivirtus, semen virtutis, & via ad virtutem.*

tutes sumus faciles.

4 *Hæ dispositiones in puerorum* εὐφυΐαις *accuratè inspiciendæ dignoscendæque sunt, & si pravæ sint, pro viribus necandæ, aut corrigendæ; si probæ, debito cultu ad frugem perducendæ.*

5 *Et cùm licet probæ sint, non omnes ad omnem actionem reddant aptos, (non enim idem homo ad omnia facilis) etiam probarum dispositionum differentia accuratè indicanda, ut pueri illi vitæ generi destinentur ad quod per naturam sunt faciliores.*

6 *Physiognomia non est penitùs inanis, per quam possumus ex signis corporum naturales hominum ad varia studia propensiones, & facilitates cognoscere: homines autem illam propensionem vel penitùs, vel in parte sequuntur.*

II Αἰδὼς ἔστι φόβος τῆς ἀδοξίας. Lib. 4. Ethic. Cap. 4.

Pudor congruere potest omnis ætatis hominibus, cùm dentur non modò iuvenes ætate & moribus sed & senes ætate iuvenes moribus, quibus minùs malum est αἰσχύνεσθαι *quam* ἀναισχύντως *peccare.*

III Pro virtutis constitutione requiritur ex parte mentis rectitudo rationis, ex parte appetionis sensuum habitus moderationis.

1 *In viro continente, qui reluctante appetitu à voluptatibus abstinet, reperitur id quod ad rationem pertinet, deest verò habitus moderationis qui pertinet ad appetitum.*

2 *Continentia magis ad rationem quam ad appetitum, & minùs ad appetitum quam temperantia pertinet.*

IV Continentia est affectio proba sequens rationem rectam quâ homo se abstinet à voluptatibus repugnante cupiendi appetitu. Οἱ ἐγκρατεῖς ἐπιθυμοῦντες ἃ πράττουσι, ἀλλ' ἀκωλυθῶσι τῷ λόγῳ. Lib. 3. de Anima, Cap. 9.

1 *Quibus non competit pugna & certamen cum ratione, iis non convenit continentia.*

2 *Unde primò, iumenta & feræ continentiæ sunt expertia.*

3 *Secundò, differt continens à temperante in quo appetitus sensuum*

ita est assuetudine confirmatus ut adversus rationem non insurgat, cùm in continente ratio, prælectio & voluntas rectè quidem sint composita (τῶ γὰρ ἐγκρατῆς καὶ ἀκρατῆς τὸν λόγον ἐπαινοῦμεν, ὀρθῶς γὰρ καὶ ἐπὶ τὰ βέλτιστα παρακαλεῖ. Lib. 1. Ethic. (cap. ult.) Solùm appetitus sensuum domitus non est.

4 *Continens igitur se habet ut miles qui cum hoste forti constanter pugnat; temperatus ut ille qui hoste devicto victoriâ potitus est, ob quam se coronâ dignum reddidit.*

5 *Actio igitur continentiæ est difficilior: at actio temperantiæ est longè præstantior.*

V Virtus moralis est habitus quô agimus quantum, quando, & quomodo oportet, & ita de cæteris circumstantiis.

1 *Ergo dum nobis se offert occasio, non valemus illâ vel non uti, vel malè uti sine ejus oppugnatione & eversione.*

2 *Si igitur vir justus injustum patret facinus, aut cùm debeat justè agere non agat, statim desinit esse justus.*

3 *Atque hinc est quod una improba actio innumeras probas fœdare & labefactare dicatur.*

VI Ars est habitus rectâ cum ratione effectivus. Lib. 6. Ethic. Cap. 6.

1 *Quum artifex non semper cum ratiocinatione operetur, Lib. 2. Phys. Cap. 8. Hæc recta ratio, quæ est essentia habitus artis, non est ratiocinatio.*

2 *Erit igitur originalis forma rei efficiendæ mente concepta cum notitiâ omnium conspirantium ad ejus expressionem in externam materiam.*

3 *Ergo hæc ratio dicitur recta, non modò quia per rectam mentis rationem effingitur, sed etiam quia prædita est congruente ratione omnium partium tum inter se, tum per relationem ad proprium finem artis.*

4 *Hæc recta ratio non potest esse principium erroris.*

5 *Ergo artifex ut artifex nunquam errat.*

VII Εἰ ἡ ἀρετὴ δέχεται τὸ μᾶλλον καὶ ἡ δικαιοσύνη. λέγεται γὰρ δίκαιος μᾶλλον ἑτέρου ἑτέρος. Lib. 4. Topic. loco 42.

1 *Virtus moralis licet in se considerata sit expers gradûum essentiæ, ei tamen in suâ latitudine minimè repugnant gradus individui & inexistentiæ, per quos distinctos gradus in subiecto recipiatur.*

Hinc

2 *Hinc sequitur primò, quum honor sit præmium virtutis, non omnibus virtute præditis æqualem honorem decernendum.*

3 *Sequitur secundò, felicitatem Practicam, quæ in actione secundum virtutem moralem perfectissimam est posita, magis & minùs recipere.*

4 *Tertiò, vitia esse imparia, non modò ob materiam in quâ versantur & extrinsecus, verùm etiam intrinsecus per eorum gradus attinentes ad inexistentiam, prodeuntes ex varietate modi præelectionis, aliorumque quæ ad patrandum scelus conspirant.*

5 *Quartò, non modò inter virtutem & vitium dari medium per negationem extremorum, sed etiam inter virtutem exactam exactumque vitium dari medium per magis & minùs; ac non dari medium consurgens ex mixtione extremorum specie distinctum ab iis, non enim virtus cum vitio permisceri potest.* Ὁ μικρὸν τοῦ εὖ παρεκβαίνων, οὐ ψέγεται, οὔτ' ἐπὶ τὸ μᾶλλον, οὔτ' ἐπὶ τὸ ἧττον.

VIII Πρὸς τὸν φίλον ἔχει τὶς ὥσπερ πρὸς ἑαυτόν. ἔστι γὰρ ὁ φίλος ἄλλος αὐτός. Lib. 9. Ethic. Cap. 4.

1 *Quæ optamus nobisipsis optamus amico, & contrà.*

2 *Ergo si licet nobisipsis optare maxima bona, licebit etiam amico eadem exoptare.*

3 *Tenetur amicus amico velle præstantissima bona, ut eminentissimos honorum gradus, & summam bonorum fortunæ copiam.*

IX Φιλότης ἔστιν ἰσότης, Lib. 8. Ethic. Cap. 5. ἐν δὲ τῇ φιλίᾳ τὸ ἴσον κατὰ ποσὸν πρώτως, τὸ δὲ κατ' ἀξίαν δευτέρως. Cap. 7. Amicus enim amico studet par pari referre, non solùm utilitate, sed & mutuis officiis.

1 *Ergo amico non sunt exoptãda ea, quæ possunt istam æqualitatem tollere.*

2 *Ab amico, ut amicus est, non potest expeti eminentior dignitas amici.*

1 *In amicitiâ primarium locum habet æqualitas secundum proportionem Arithmeticam per quã omnia eadem pro iisdem retribuuntur; secundarium æqualitas secundum proportionem Geometricam in quâ ratio habetur dignitatis personarum, ut tantum quisque retribuat quantum pro virili potest.*

2 *Amicitia, in quâ servatur æqualitas secundũ proportionem Arithmeticam, est propriissimè amicitia; in quâ verò non servatur, minùs propriè.*

3 Φιλίαι ἐν ἰσότητι *quæ sunt inter eos qui eiusdem planè sunt conditionis, & æqualia sive paria possunt sibi præstare officia, sunt propriè amicitiæ.*

4 Φιλίαι ἐν ὑπεροχῇ, *quæ sunt inter eos quorum alter longè superior est dignitate, ætate, potentiâ, authoritate, ut inter optimos & pessimos, principes & subditos, sapientes & idiotas, non sunt propriè amicitiæ.*

5 *Meritò igitur Philos. Lib. 8. Ethic. Cap. 7.* οὐδὲ γὰρ τοῖς βασιλεῦσιν ἀξιοῦσιν εἶναι φίλοι οἱ σφόδρα καταδεέστεροι, οὐδὲ τοῖς ἀρίστοις ἢ σοφωτάτοις οἱ μηδενὸς ἄξιοι.

X Ὁ νόμος ἀναγκαστικὴν ἔχει δυνάμιν, λόγος ὢν ἀπὸ τινος φρονήσεως καὶ νοῦ. Lib. 10. Ethic. Cap. ult.

1 *Ergo lex est ordo rectam gubernandi rationem includens, ex prudentiâ prodiens, subiecta legi per congruentia media in finem optimum dirigens.*

2 *Leges civiles non sunt de rebus quæ secus se habere nequeunt, & varietati non sunt obnoxiæ.*

3 *Nec etiam sunt de fine, (finis enim ut certus à lege præsupponitur) sed de ordinatis in finem.*

2 *Principalis & interna forma legis est quod ex bono prodeat, scilicet sapientiâ & prudentiâ, & in bonum dirigat quod verè & sui naturâ bonum est, scilicet conservationem ordinis Reipub. adeptionem finis eius & usum virtutum.*

3 *Edicta, decreta, instituta, mandataque principum hac internâ legis formâ destituta sunt tantum æquivocè leges; quæ verò eâ sunt præditâ, etiamsi non adsit approbatio & mandatum principis, absolutè, verè suique naturâ sunt leges; ex utrâque tamen formâ iunctâ consurgit lex absolutissima.*

4 *Omnis revera & sui naturâ lex est recta, bona, & iusta,* πάντα τὰ νόμιμα ἔστι πως δίκαια. *Lib. 5. Ethic. Cap. 1. Lex verò æquivocè dicta minimè.*

5 *Ergo qui hanc posteriorem legem servat, servat ius, non absolutè, sed in depravatâ Repub. qui verò priorem, absolute ius, legem, & legitimum servare dicitur.*

THE-